



Clerus Sæcularis Et Regularis

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

VD18 13510800-001

§. III. De Probatione Clericatûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75021)

In specie verò prohibetur Clericis *1.* ne Mimis, Histrionibus, & Joculatoribus intendat *c. Clerici cit.* imò Clerici, qui se Goliardos, Buffones, Joculatores, vulgò *Gaudier / Schalck's-Maren / Maister-Singer* faciunt, si artem hujusmodi ignominiosam per annum, vel postquam ter moniti sunt, breviori tempore exerceant, infames fiunt, omnique etiam Canonis privilegio ipso Jure privantur *c. un. h. tit. in 6.* quod plerique extendunt etiam ad Clericos in Sacris constitutos; quia litera indistinctè loquitur.

2. Præcipitur Clericis, ut carnificum, i. e. lanionum, & tabernariorum muneribus abstineant, ut habetur *Clem. Dicecesanis 1. h. tit.* ubi publicè, & personaliter officia hæc exercentes, si nominatim, seu proprijs nominibus expressis, & tertio moniti ab ijs non desistant, aut illa resumant, conjugati quidem utrumque privilegium Clericale, Canonis nempe, & fori; non conjugati verò solum quoad res suas amittunt, nisi incedant ut Laici; ita enim incedentes, quamdiu præmissis insisterint, privilegio Clericali excidunt etiam quoad personas suas, possuntque coram Magistratu sæculari conveniri, & percuciens illos Excommunicationem non incurrit ex Decreto Concilij Viennensis *in Clem. 1. cit.* relato.

3. Vetatur Clericis lusus alearum, & taxillorum, ut habetur *c. Clerici 15. h. tit.* & jam antè statutum fuit *can. 41. Apostolorum.* Intelligitur autem eo nomine omnis lusus varietate fortunæ consistens, qui que casu potius, quam arte dirigitur, ut notat Imol. *in c. 15. cit. n. 4.* Vall. *n. 10.* Zypæus *n. 2.* Pirh. *n. 25.* Hinc ille, qui magis arte, quam fortunâ regitur, ut est lusus conorum, latrunculorum &c. Clericis non prohibetur, sicut nec omnis ille, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis. Henric. Boich. *in c. 15. n. 8.* Barbos. *ibid. n. 7.* König *n. 15.* Porro transgressores hujus præcepti, ut *citt. DD.* cum alijs notant, delinquent mortaliter: intellige, si frequenter, & publicè, ac cum scandalo populi ludant; nam si ra-

rd, moderatè, ob recreationem, & sine scandalo ejusmodi ludos exercent, licitè faciunt, nisi Lex Dicecesana illos prohibeat. Laym. *l. 3. Theol. tr. 4. c. 21. n. 1.* & *2. Engl. bis n. 12.* Schamb. *n. 13.*

4. Prohibentur vanæ, & lascivæ Musica in Officijs Divinis. *Extr. un. int. comm. h. tit.* item exhibitio ludorum theatralium, & scenicorum in templis, si profani, & multo magis, si inhonesti sint *c. cum decorem 12. h. tit.* Ludi tamen honesti, & maxime pij, qui ad devotionem excitant, hoc textu non prohibentur etiam in templis exhiberi, ut notat Gloss. *in c. cit. v. monstræ larvarum.* Abb. *ibid. n. 1. in fin.* Imol. *n. 6.* Gonz. *n. 9.* Barb. *n. 6.* Laym. *n. 1.* Wagn. *in Exeg. ibid. Pirh. hic n. 26.* Wiest. *n. 58.*

Dub. *2.* an Clericus in sacris constitutus, si insuper habita Ecclesiæ monitione, joculatorem, lanionem &c. agere pergat, & factus sit incorrigibilis, fori privilegium amittat ipso Jure. Affirmant Clar. *§. fin. q. 36. n. 34.* Seaccia *l. 1. de Judic. c. 11. n. 55.* & *56.* Farin. *prax. crim. q. 8. n. 51.* Negant Felin. *in c. cum non ab homine 10. de Judic. n. 10.* complurèsque alij, & probari hoc videtur ex *c. cit.* ubi Clerici omnino incorrigibiles Magistratui Sæculari traduntur (utique per sententiam) non verò ab hoc, quasi ipso Jure privati essent, statim apprehenduntur.

Tenenda est via media, & distinguendum inter sententiam declaratoriam incorrigibilitatis, & condemnatoriam. *Prima necessaria est,* ut in hujusmodi Clericum, tanquam Jurisdictioni suæ subiectum, curia sæcularis possit procedere. *arg. c. cum secundum 19. de Hæret. in 6.* non autem opus est sententiâ condemnatoriâ, ut rectè Pal. *tr. 11. D. un. p. 6. n. 8.* Pirh. *hic n. 32. not. 4.* Schamb. *n. 15.* Wiest. *n. 60.* & colligitur ex *clem. 1. h. tit.* ubi asseritur eos privilegium Clericale eo ipso amittere: quæ verba privationem ipso Jure inflictam denotant; ubi autem ipso Jure inflicta est pœna, non est opus sententiâ condemnatoriâ, sed sufficit declaratoria commissi criminis. ergo &c.

S. III.

De Probatione Clericatus.

SUMMARIUM.

48. Qui Clericum se esse asserit, illud debet probare.

49. Modi, quibus probari Clericatus potest.

Queritur *1.* an qui se Clericum asserit, id probare debeat? *2.* affirmative. Sumitur ex *can. Presbyteri 2. dist. 68. can. legum 9. caus. 2. q. 1.* tradit Decius *in c. 17. de rescript. n.*

50. Quando dubium est de Clericatu, discutere debet solus Judex Ecclesiasticus.

51. Ripa *in c. 2. de Judic. n. 4.* Decian. *tr. crim. l. 4. c. 9. n. 117.* Mascard. *de probat. concl. 302. num. 13.* Gomez *in Reg. de annal. possess. q. 58.* König *hic n. 10.* Wiest. *n. 7.* Ratio clara est, quia Clericatus homini ne-

que à natura, neque communiter inest, cum omnes nascantur Laici, & tales esse plerique perseverent; qualitas autem, quæ neque à natura, neque communiter inest, non præsumitur, sed ab allegante probanda est, ergo &c.

49 Queritur 2. quomodo probandus sit Clericatus? R. varios istum probandi modos existere, ut videre est apud Mascard. *de Prob. concl. 302. & quatuor seqq.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. à n. 138.* Sperell. *decis. 17. à n. 21.* König *n. 10. hic.* Wiest. *ibid. à n. 8.*

Et 1. quidem per litteras Formatas, ut vocant, sive Authenticas Episcopi, testificantis ejusmodi Clerico collatam primam Tonfuram, vel Ordinem. 2. per Librum Ordinatorum reservatum in Archivo Episcopali, cum ex eo, tanquam ex Originali Litteræ testimoniales susceptorum Ordinum transfuntur. 3. per attestationem Notarii, seu Instrumentum publicum de ipso Clericatu confectum. 4. ex confessione partis adversæ, præsertim quoad præjudicium ipsius confitentis. 5. testimonio unius etiam testis omni exceptione majoris, attestantis se Ordinationis actui interfuisse: quod intelligendum de probatione extrajudiciali, non præjudicante tertio e.g. ad licentiam impetrandam pro celebranda Missa; in Judicio enim, in quo lis est super Beneficio e.g. non admittitur unius testimonium; sed Clericatus per duos saltem testes, vel aliter probari debet, ut notat P. Wiest. *hic n. 8. 6.* ex diuturna possessione, ut si per testes, vel aliunde constaret, aliquem longo tempore pro Clerico habitum, vel in Beneficio Missas celebrando, Evangelium vel Epistolam solemniter cantando intersivisse; nam hæc probatio, licet non sufficiat ad Beneficium Ecclesiasticum obtinendum, tamen sufficit ad eum in obtento manutenendum, Honor. *hic n. 2.* 7. per famam, seu communem existimationem, vel solam in casibus, ubi leviores probationes sufficiunt, vel adminiculatam, ubi requiritur probatio plenior, uti fit, quando illegitimus dicit se esse Clericum; nam iste Clericum se probare debet per litteras dispensatorias in defectu natalium, neque sufficit communis reputatio, aut possessio habitus Clericalis, cum non præsumantur illegitimo collati Ordines, nisi antea fuerit dispensatum, Honor. *l. cit. 8.* ex delatione habitus, & tonsuræ Clericalis, præsertim diu continuata; quia ista quasi possessionem, & præsumptionem Clericatus indicat; & talis quis esse præsumitur, qualis exteriori habitu reperitur, donec contrarium probatum fuerit. Sed hoc iterum procedit solum, quando agitur de modico præjudicio; nam quando de magno, ut cum Beneficium tali est conferendum, accedere debent alia adminicula, Mascard. *concl. 302. cit. n. 1.* 9. ex alijs argumentis, & indicijs, seu conjecturis, & aliquando etiam solo Juramento asserentis, quando sc. de nullius

præjudicio agitur, nec alia probatio suppetit. Rota *p. 7. decis. 159. n. 11.* Engl. *de Cleric. pereg. n. 2.* König *hic n. 10. in fin.*

Porro quantum singula ex memoratis efficaciam ad probandum habeant, Judicis erit, considerata qualitate, & circumstantijs, in quibus probatio petitur, arbitrari.

Queritur 3. cuinam Judici competat Clericatus discussio, si dubitetur numis, qui e.g. ob delictum ab Executoribus Judicis Sacularis captus est, sit Clericus? Videtur hoc casu de Clericatu cognoscere posse Judicem Sacularem. 1. quia ita habet consuetudo, & praxis plerumque Orbis Christiani Tribunalium, prout de Gallia attestatur Guido Papæ *decis. 138.* de Hispania Covar. *pract. c. 33. n. 1.* de Regno Neapolitano, & Sicilia Carol. de Grassis *de effect. Clericat. 1. n. 1258.* de Ducatu Mediolanensi Clar. *§. fin. q. 36. n. 21.* de alijs alijs. 2. quia quilibet Judex cognoscit, an sua sit Jurisdictio *l. si quis ex aliena 5. ff. de Judic.* 3. quia questio, an quis sit Clericus, est questio facti, quæ nihil spiritualitatis continet, & coram Judice etiam Laico tractari potest.

Sed clara in contrarium videtur esse decisio *c. si Judex 12. de sent. Excomm. in 6.* ubi Bonifacius VIII. aperitissimis verbis statuit, discussionem Clericatus, si malefactor, captus à Judice Laico, se Clericum asserat, ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinere, vocato tamen Judice Seculari, vel alio, cujus interest: & additur ratio; quia de Ecclesiastico, & Spiritualium nempe tali casu mixtum agitur de questione facti, & Juris, neque separari ab ea potest ipse Clericatus, dum principaliter ejus titulus controversitur. Ita Clar. *§. fin. q. 36. n. 14.* Covar. *pract. qq. c. 33. n. 1.* Stephan. Gratian. *Discept. for. c. 190. n. 13.* & seqq. Zerol. *prax. Episc. p. 1. V. Clericus n. 3.* Carol. de Grassis *l. cit. n. 1257.* Petr. Barb. *in l. Titia 35. ff. solut. Matr. n. 29.* Aug. Barb. *in c. si Judex cit. n. 2.* Oliva *for. Eccl. p. 1. q. 26. num. 24.* Pirh. *tit. de for. compet. n. 106.* Wiest. *ibid. n. 182.* König *hic n. 11.* Intelligi autem hoc debet solum de cognitione Judiciali; nam summaria aliqua, & perfunctoria cognitio, ut Judex sciat, an reus sit in possessione Clericatus, Seculari Judici permessa est, ut rectè Petr. Barb. *l. cit. n. 29.* Oliva *n. 25.* Wiest. *n. 183.* & colligitur ex *c. si Judex cit. §. & si notorium*, ubi Papa, dum dicit à Curia Seculari statim remittendum, si notorium fuerit, quod idem malefactor sit Clericus, non obscure concedit Judici Seculari aliquam saltem summariam cognitionem, & informationem super notorietate, fama, & communi reputatione.

Neque obstant argumenta allata in contrarium. *Ad 1.* quod in Regnis prædictis observatur, specialibus privilegijs summorum Pont. imputandum est; nam absque ejusmodi privilegio consuetudo repugnans

nans Ecclesiasticae immunitati est corruptela, ut sapientis decifum esse à S. Congr. Card. affirmat Pignatell. tom. 2. consult. 44. n. 1. Ad 2. id locum non habet, quando opponitur exceptio concernens aliquid Spirituale, ut hic fit; nam eo casu quiescit potestas secularis, & ad Judicem Ecclesiasticum devolvitur articulus de dubio Clericatus. Ad

3. de quaestione facti in re Spirituali cognoscere Judex secularis tum solum potest, quando illa nihil habet admixtum Juris; nam si admixta sit Juris quaestio, utriusque cognitio ad Judicem Ecclesiasticum remitti debet, ne causarum continentia dividatur. Videatur Lib. 2. tit.

10. à n. 12.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.

Honestati Vitæ, cui studere Clerici debent, plurimum repugnat incontinentia, ut Tit. prior. n. 15. vidimus. De hac eisdem reddere suspectos solet cohabitatio,

& familiaritas cum mulieribus; hinc ut à lapsu, & à lapsus periculo, ac suspitione remotiores sint, merito Titulus hic priori subjungitur.

§. I.

De Cohabitatione Clericorum cum Mulieribus licita, & illicita.

SUMMARIUM.

1. Non licet Clerico cohabitare cum mulieribus, præterquam cum ijs, de quibus suspicio incontinentiæ nulla esse potest.
2. Etiam si affines sint, nisi in primo, vel secundo gradu.
3. Consanguineas in 1. & 2. gradu secum habere potest etiam Episcopus.
4. Si suspicio incontinentiæ abfit.
5. Clerici concubinarij non possunt cogi ad abjurandas concubinas.
6. Harum Judex competens de Jure communi est Ecclesiasticus.

Quæritur 1. an, & quatenus Clericus liceat, vel non liceat cohabitare cum mulieribus? R. Regula universalis est, prohibitam esse Clericis cohabitationem in una domo cum mulieribus quibuscunque, de quibus incontinentiæ suspicio esse potest can. interdixit 16. dist. 32. can. oportet 23. & seqq. dist. 81. c. inibendum, & c. fin. h. tit. Trid. sess. 25. c. 14. de reform. Ratio est, quia conversatio cum illis ad lapsum provocat, cum dicantur exurere conscientiam viri secum habitantis, ut loquitur S. Hieronymus relatus can. Hospitalium 17. dist. 32. cit.

Excipiuntur 1. personæ in primo, vel secundo gradu consanguinitatis conjunctæ, ut mater, avia, amita, matertera, foror, nepotis, sive filia fratris, aut fororis; nam cum his, modò personas, suspectas secum non teneant, cohabitare Clericis licet, ut habetur can. interdixit cit. can. cum omnibus 27. & can. feminas 31. dist. 81. c. à nobis 9. h. t. ubi etiam ratio redditur; quia in his naturale foedus (i. e. conjunctio sanguinis) nihil permittit sevi criminis suspicari, cum incestuosam copulam natura abhorreat.

2. Permittitur Clericis habitare in eadem domo cum ijs, quæ de hujusmodi conjunctarum mulierum familia sunt, ut sunt illarum famulæ, & pedisequæ: item cum uxoribus, quas filij eorum acceperunt jam

ordinatis parentibus, sicut etiam cum filiabus, & uxoribus servorum can. cum omnibus cit.

3. Denique non prohibentur in servitium suum assumere, & cohabitare etiam cum extraneis foeminis, si profectioris ætatis sint, honestæ famæ, & extra suspitionem incontinentiæ. Alagona in c. 1. h. tit. Vall. eod. n. 1. Zaf. n. 2. Pirh. n. 3. König n. 4. Wiest. n. 1. & satis indicatur can. interdixit cit. ibi, aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones: quod confirmat communis Germaniæ praxis, & plurium Diocesium Statuta, per quæ assumptio talium in famulatum Clericis permittitur, modò non sit 40. annis minor, & aliàs immunis ab incontinentiæ suspitione.

Quæritur 2. an sicut cum consanguineis, ita etiam cum affinibus cohabitare Clerici licite possint? R. non posse. Patet ex textibus cit. ubi dum Clericis prohibetur cohabitatio cum mulieribus, nominatim excipiuntur consanguineæ, non autem affines: & ratio est, quia constat majus esse foedus, seu conjunctionem naturalem inter consanguineos, quam affines, cum illi per se immediatè conjuncti sint, isti per accidens tantum, sive mediantibus consanguineis conjungantur. Pirh. hic n. 4.

Excipiendæ tamen sunt mulieres in primo gradu affinitatis conjunctæ, v. g. No-

ver-